224

Perillustri nobilissimoque viro
CONSTANTINO HUGENIO ZULICHEMIO
Nicolaus Heinsius S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Carmen illud praestantissimum, quodque Tuo tanto vate condignum meo pro iure videor appellare, legi relegique iam cum summa voluptate, et nondum satiatus iterandum mihi in posterum propono, annotatis quidem ad marginem hic illic nonnullis, aliis quorum pars ~~le~~ ~~men~~ maior cum reprehensionem aut censuram vix mereatur, non datis meis, quorum praecipue semper apud me fuit ac erit aucto-ritas, in dubio potest videri. Ipsum carmen quamvis ad te re-versatur hactenus, haud soli valetudini, quamquam hic quoque, est adscribendum. Ferias enim caniculares exegeram eo anni, ut complures, quos fueris tempore, etsi haudquaquam ingratos, nunc cum maxime sum expertus. Perlaturos id ad te rebar Graecos fratres, filios sororis meae, sed illos hinc domum nuper admodum evocavit subitus atque inexpectatus de gravi parentis morbo nuntius: ut alia mihi nunc opportunitas sit circumspectanda, qua ad Apollinem suum tuto reddam postliminio Musas tuas. De Virgilio autem meo ita prorsus est ut arbitraris, vir perillustris, exile munusculum Regi tanto non debuisse offerri, nisi forte prolatis una in lucem meis ad hunc ipsum Maronem annotatis atque observationibus. Consilii tamen mei rationem ut penitius compertam, idque paucis, habeas; iam ab annis ante belli nuper orti exortum compluribus Rex Christianissimus benignus oppido mandata sua dedit se meis velle en profectus. Oblatum tamen favorem ne omnino admitterem, publicum munus, cui nunc adstrictus eram, apud me evicit. Hanc magni Regis tam propensam, tamque non meritam, in me voluntatem nuper etiam proximis literis cum fortis verbis, ubi par erat, per Maiestatem [...] nostro indignissimus. Hanc nostro ad Marchionem de Leava, quo plissimis auxilium, datis hanc in re ad Marchionem De Leana, qui Regi ab aedibus uti novisti, et epistolis ... litteris; rescripsisse ille, non statim sive hoc fine regium favorem, modo ne quid deesse mihi meae ipsi,

Burm. F. 6 a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BURF F 6 a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7133

cui esse se auctorem, ut nomini sibi e lucubrationibus Rolwij quam
primum donandis Regi dedicationem offerrem: aut si ea mallem,
scripto quocunque panegyrico, sive metrico sive solutae oratio-
nis, commendarem nostris Principem, ut aiebat ipse, Magno Alex-
andro rebus praeclare gestis haudquaquam inferiorem. Non mul-
to post aliorum quoque gallicanorum et aulae procerum sententiam
exploraturus ~~superintendente~~ sum aggressus de Marone meo cliente-
lae regiae tradendo: qui et consilium meum perplacere sibi sunt
testati, et suaserunt, ut hanc lucubrationis telam maturarem detexere.
Ceterum cum iam pars maior libri typis esset descripta, supervenerunt
bella longe atrocissima, et impetum omnem editionis sufflaminarunt.
Quibus nunc vix tandem sublatis sopitisque ipsi et Galliae amici
instare denuo ac tanto acrius urgere, ut ad interruptam calami-
tate temporis iniuria postliminio redirem. Quare mox ~~Mox~~ ad Ducem
Montozerium, cuius singularem erga me studium argumentis
iam olim indubitatis exploratum habebam, missa dedicatione
typis expressam, ut si quid in illa mutandum corrigendumque
censeret, eius tempestive admoneret ante donandum Regi
publica libellum; cuius de pusilla forma vel ex hoc specimine
illi abunde poterat constare. Addidi praeter hoc, non esse
mihi valetudinem eo loco, ut ipse uno lucubrationis decursu
opus omne nunc absolvi perficique posset. promittendum pri-
mo igitur fore Maronis ipsum contextum, mox seriores observa-
tiones in illum nostras. Dux humanissimum rescripsit in mo-
dum, cum ipso Regi sibi adhuc de tota re, nec causam esse cur
dubitarem Maronem illi minus fore pergratum. Idem non mul-
to post post publicationem iam oblatum Regi libellum confirma-
vit mihi illustrissimus Pomponius, pro dedicatione libri per epis-
tolam habitis solemniter in modum gratiis, quam Regis iussu
sese profitebatur exaratam. Lucubrationem quidem regias

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BURF F 6 a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7133

225.

Mathematicis argumenta quo iure dubitem vel an sim desiderare,
nusquam video. Neque enim spes intempestiva praemii aut ambi
tio immodica libellum expressit mihi qualemcunque, sed nuda
grati animi testificatio, quam debere me iamdudum intelligebam
cum longe maiorem meritis meis essem consecutus. Non deesse
qui factum id meum carpant in gente procacissima erat ca
villandum immane quantum arguta, haud miror nec verebar.
Neque enim adeo sum stultus, ut quod perpaucis contigit,
cunctis ubique gentium mortalibus probari aut placere con
tendam. Sed et aberravit ipse titulus libelli, in anni sui, quo
prodiit, numero recte designando: qui tamen typographi
lapsus est, non meus. Annotationes porro, quas dixi, ut mitte
rem propere, non unus ex amicis Gallicanis haud semel mihi iterum
flagitare. Et hoc quidem faciam. Valetudo cum iam meli
us recolligere procedat, cupiam equidem ante tempestatis hiber
nae insultus molestias equidem brevem in aulam Paderbor
niam. neque alio id nomine quam ut tralatitia defungar gra
tulatione apud Principem optimum, ingentique accessione
honoris cumulatum nuper: sed diffido viribus, metuoque
ne itinerum incommodo parum hae respondeant, post mor
bum praesertim gravissimum ac diuturnum. Ad Amplissimum
Zeelhemium litterarum nonnihil sum daturus propediem: nunc
quaeso salutet meis verbis plurimum. Vale, vir summe,
et mihi nominis Hugeniani longe studiosissimo favere, ut
solebas, in posterum perge. Exarabantur Vianae ad
Leccam. CIↃIↃCLXXIX. a.d. VII Sept. Gregor.

Illustrissimo Duci Montausierio

Illustrissime et Excellentissime Domine,

Nudius tertius ad me perlati sunt e Gallia Romani scriptores non pauci
in eruditos Serenissimi Delphini usus luci publicae nuper admodum donati, no
vum praeclarae munificentiae vestrae ac benignitatis erga me argumentum: ut
quoque per abditos bibliothecae meae recessus aciem oculorum circumferam, oc
current illic crebro et praeclaram vestri memoriam hoc in animo excitet. Tantum non

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BURF F 6 a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7133

assiduum grande rerum mearum columen Heros Montauzerius. qua quidem
recordatione nihil iucundum magis aut optatum mentem mihi pervenire insinuat,
nisi una instillimus suboriretur pudor tot tuorum tamque ingentium in me merito-
rum, quibus quod reponam hactenus non habeo praeter nudam eamque flagran-
tissimam bene de Te vicissim merendi, quamvis impari conatu, voluntatem.
Aderat mihi forte Joannes Georgius Graevius, vir ut bonarum artium cultu-
ra perpetuo instructus, ita inter praecipuos nominis Tui miratores cum pri-
mo numerandus, quando insperatum munus ad me pervenit. Occa-
sionem mehercule tam opportunam praeterire passi sumus nunc nuncupandi vota
pro sacratissimi capitis Tui incolumitate, in qua dignitas litterarum ac salus
unicam nunc sui fiduciam propemodum repositam habent. Valetudo
mea, Vir illustrissime, (de qua fortassis cognosse nonnihil haud quaquam
ingratum Tibi futurum est) praeter Medicorum ac meam exspectationem res-
pirat nunc utcunque atque intermittit quodammodo saevire: confirma-
tam dum haud ausim appellare. Sed ab autumni huius caelo parum
temperato et ab hibernis, quos videmus iam imminere, mensibus pericu-
lum est non leve. Si tamen haud prorsus inclinata res meum pergat age-
re, nihil antiquius habebo, quam meis in Maronem castigationibus luci-
nadendis manum supremam ~~imponere~~ admovere. Deus Te conservet diutis-
sime in commune gaudium bonorum litteratorumque omnium.

Illustrissime et Excellentissime domine,

Excellentiae vestrae
infinitis obstrictus nominibus
Nicolaus Heinsius.

Burm. F. 6 a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BURF F 6 a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7133